

conversus et baptizatus est. Ac tandem idem dux ad eas omnes Galliarum gentes, quæ ditionis suæ erant, nuncios misit, qui nomine suo omnia idola minutatim confringere et soli Deo servire populis præciperent. O mirandum apostolum, qui totam Aquitaniam non ferro, sed Dei verbo; non militaribus armis, ac jejuniis, orationibus et miraculis ad Christi fidem convertit! Non facile explicari potest, quot et quanta, pro Christi fide propaganda, certamina inierit sanctus apostolus: ubique enim illi fuere pugnae, ubique terrores. Attamen vir Dei, baculo, quem a sancto Petro acceperat, ac speciali Dei auxilio armatus, fortis semper et triumphans fuit in bello, fortis adversus mortem, quoniam tactu hujus baculi mortuos suscitavit; fortis adversus ignem, quoniam magna mirabiliter extinxit incendia; fortis contra daemones, quia eos ab hominum corporibus expulit; fortis adversus principes, quorum superbiam fregit et colla suavi Christi jugo subiecit. Fortis fuit contra idolorum sacerdotes, quos exarmavit, dejecit, a vana superstitione revocavit et ad Christi ovile vocavit; fortis tandem contra idololatriam, quam in tota Aquitania extirpavit. Miramini nunc sanctum Martialem, qui cum puer esset, quinque panes Christo obtulit: *est puer hic habens quinque panes*. Obstupescite, videntes, quod puer ille factus sit homo magnus coram Deo et hominibus; ac ita magnus, ut Christi discipulus et amicus, Petri socius et adjutor, Lemoviensium episcopus et apostolus evaserit. O quantus extitit hic sanctus Martialis! Non sufficit autem, quod illius magnitudinem agnoscamus et admiremur: debemus insuper tantum virum pro viribus imitari. Narrat sacrum Evangelium, quod accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: *quis putas major est in regno caelorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum et dicit: amen dico vobis: nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum* (Matt. 18). Parvulus ille, quem Christus in medio discipulorum statuit, ipse sanctus Martialis fuisse fertur, ut ait Lyranus. Hunc eundem puerum nunc in medio vestrum statuo, ac dico vobis: nisi a vitiis vestris pessimis convertamini et efficiamini sicut parvulus

ille, non intrabitis in regnum caelorum. Non dico: nisi miracula et opera portentosa peragatis, sicut Martialis, non intrabitis in regnum caelorum: id unum dico: nisi conversi fueritis et nisi voluntati Dei obtemperetis, sicut Martialis, non intrabitis in regnum caelorum. Convertimini ergo ad Deum in toto corde vestro; ac sicut Martialis obtinuit regnum caelorum, non quia mortuos suscitavit et alia miracula est operatus; verum quia Dei voluntati obtemperavit et quia perfecit omnia, quæ Deus ab eo fieri jusserat, ita et vos Dei mandatis obtemperate eaque omnia perficite, quæ Deus a vobis fieri vult. Hæc si faciatis, in regnum caelorum intrabitis et in eo cum sancto Martiale æternum regnabitis. *Amen.*

DE SANCTO BONAVENTURA

CONCIO UNICA.

In adinventionibus tuis exercebor (Ps. 76, 13).

Quemadmodum sanctissimus propheta Isajas in extasim rapto duos in cælo vidit Seraphim, quorum unus dumtaxat ad ipsum volavit: *volavit ad me unus de Seraphim* (Isa. 6), ita duos nunc mente et spiritu in cælo intueor Seraphim, Seraphicum scilicet Patrem sanctum Franciscum et Seraphicum Doctorem sanctum Bonaventuram; quorum cuilibet pereximia quidem debentur præconia, ac eorum jam unus solum ad me volat, nempe Seraphicus Bonaventura, cujus elogia contexere et panegyricum sermonem conficere, mei nunc est oneris et instituti. Verum quidem, quod Seraphim illius tanta fuerit scientia, tantus amor, tanta laudum materia, ut omnes homines quantumvis eruditi et facundi in eo laudando deficerent. Unde de eo dici posset, quod de S. Basilio Nazianzenus; nempe quod *si omnes eum laudemus, ejus tamen meritis inferiores cuncti apparebimus. Veluti qui solem aspiciunt, quamvis unus alio*

plus minusve, omnes tamen videndo deficiunt. Non ideo tamen ab ejus abstinere laudibus; divino fretus auxilio, pro viribus mirabiles et sanctas, quibus usus est, inventiones enarrabo: *in adinventionibus tuis exercebor. Ave.*

Deus, qui in essentia sua summe simplex est, homines corde simplices, plurimum diligit. Et ideo Apostolos, quos amicos vocat, ad columbinam simplicitatem sectandam hortatur: *estote simplices sicut columbæ* (Mat. 10). Ideo etiam declarat, quod non cum viris prudentibus sæculi, verum quod cum viris simplicibus jucunde versetur et loquatur: *cum simplicibus sermocinatio ejus* (Prov. 3). Licet autem erga homines sancta simplicitate florentes magno Deus feratur affectu, sanctissimus tamen Isaias propheta de homine justo asserit, quod *fructum adinventionum suarum comedet* (Isa. 3). Quæ, quæso, adinventiones illæ, quarum fructum comedunt justi? Anne homines simplices et justi aliquas adinventiones habent? habent utique, suntque simul et simplices, et sanctissima arte præditi ad inveniendum novos perfecte vivendi, Deoque placendi modos. Nonne sanctissimus Gallie rex Ludovicus, præclara adinventionem, eadem manu modo crucem, modo ense pro Dei gloria gestabat? Nonne simili inventionem sancta Elisabetha nunc in xenodochiis pauperes et infirmos invisebat, ut eis subveniret; et nunc in palatio, quæ status sui erant perfectissime adimpebat, ut sponso suo placeret? Nonne plures viri sancti, miranda inventionem, austeram in seipsis poenitentiam simul cum magna vitæ et morum innocentia conjungere? Nonne alii multi eadem inventionem hic in terris cum aliis hominibus commorari, et itidem cum angelis in celo mente et spiritu versari noverunt? Aliæ plurimæ sanctorum in hoc sæculo viventium extitere inventiones; et sicut Vates regius solis Dei adinventionibus scrutandis se exercebat; *in adinventionibus tuis exercebor*, ita et solis sancti Bonaventuræ inventionibus explicandis jam incumbere contendam, atque dicam, quod Seraphicus ille Doctor mirabili adinventionem in semetipso simul conjunxit 1. scientiam cum amore; 2. magnitudinem cum humilitate; 3. vitam activam cum contemplatione. En tres mira-

biles Seraphici Bonaventuræ inventiones, quibus explicandis tota hac concione exercebor. *In adinventionibus tuis exercebor.*

I PARS.

S. Bonaventura in se simul scientiam cum amore conjunxit.

1. Qualis et quanta extiterit sancti Bonaventuræ scientia, norunt universitates in quibus floruit; Ordo Franciscanus, quem doctrinæ suæ radiis illustravit; summi Pontifices, qui eum Seraphici Doctoris titulo insignierunt; totusque fore terrarum orbis, in quo ita scientia sua coruscavit, ut de eo dici possit quod de Basilio dixit Nazianzenus, quod scilicet ipse fuerit *orbis lumen et doctrinæ palatium* (ep. 10). Sanctus quidem Bonaventura fuit *orbis lumen*, cum clericis et laicis, regularibus et secularibus, græcis et latinis, toti Ecclesiæ, imo et universo orbi, humilitatis, mansuetudinis, charitatis ac fulgentissimis omnium virtutum radiis mirum in modum illuxerit. Fuit etiam *doctrinæ palatium*, quia in eo omnis scientia, sive speculativa, sive moralis, veluti in paradiso suo residebat. Non minus enim quam trecenta opera, vel opuscula composuit, in quibus de innumeris rebus, atque ita dicam, de omni scibili ad philosophorum, theologorum, concionatorum et omnium hominum utilitatem stylo suavi et clarissimo pertractat. Nec autemandum, quod materias perfunctorie solum pervolvet divus Bonaventura; altiora enim cujuslibet scientiæ mysteria scrutatur et penetrat, ac ut ait Abbas Trithemius, *Bonaventura scripsit alta et profunda (de scriptor. Eccles.)*; neque censendum, quod inutilia docuerit et scriptis mandarit; nam, ut asserit præfatus Abbas, *Bonaventura omnes sui temporis Doctores utilitate operum facile antecellit.* Nec credendum, doctrinam ejus subtilitate, claritate et suavitate carere; ut enim loquitur Joannes Gerson, *doctrina sancti Bonaventuræ nulla sublimior, nulla diviniore, nulla suavior, nulla salubrior* (lib. de exam. doctr.). Quod autem in sancti Bonaventuræ doctrina

majori dignum videtur admiratione, est ejus stylus qui ubique flammam spirat; plus enim corde quam ore loquitur, omniaque et singula ejus verba quasi quædam scintillæ legentium corda ad Dei amorem accendunt. Unde de eo, sicut de Elia, dici potest, quod *verba ejus sicut facula ardebant* (Eccli. 48). Hanc divi Bonaventuræ doctrinam ita utilem et sublimem censebat Joannes Gerson, ut licet ipse omnium scientiarum studio vacans insenuerit; licet ipse altiores scientias magno plausu docuerit, seipsum tamen arguat, quod in aliorum authorum libris perlegendis tempus insumperit, quodque operibus divi Bonaventuræ legendis, volvendis, studendis, imo et transcribendis non totaliter incubuerit, utpote quia hæc sola plus quam sufficiant, et in iis solis reperitur scientia, qua nulla utilior, nulla sublimior, nulla fecundior. *Dixi tecum, inquit, sufficit hæc doctrina, ut quid stulto labore consumeris? Quid dictas? Quid scribis? Multiplicentur potius et transcribantur opera Doctoris istius.* O mirandam Seraphici Bonaventuræ scientiam! Quæ inde etiam patet mirabilior, quod non tam labore improbo comparata, quam a Christo cruci affixo ei fuerit infusa. Sicut enim sancti in celo omnia vident in Verbo, ita Bonaventura omnia legebat et disciebat in crucifixo; hic erat liber, a quo totam suam scientiam eliciebat. Et ideo quærenti divo Thomæ, unde tantam hauriret sapientiam, crucifixum ostendit Vir ille Seraphicus, dicens: mea doctrina non est mea, sed ejus; *en librum unde omnia excerpo, quæ lego in cathedris, aut in libris scribo.* Maximo inter se amicitiaæ fœdere devinciebantur sanctus Thomas Aquinas et sanctus Bonaventura. Ambo simul magistrum habuere Alexandrum Alensem; ambo Doctoratus laurea in Facultate Parisiensi eodem tempore fuere insigniti; ambo simul theologiam et philosophiam in eadem universitate docuere; ambo quamplurimos libros ad doctrinam et ad pietatem spectantes composuere; ambo Ecclesiasticas dignitates acceptare recusarunt; ambo ad Lugdunense concilium vocati sunt; ambo tandem status religiosi protectores, universitatum lumina et Ecclesiæ catholice quasi tutelares angeli extiterunt. Eorum autem quilibet alterius scientiam mirabatur; et divus Thomas

percipere nequibat, unde hauriret Bonaventura sublimes et divinos illos conceptus, nec non mirandam hanc scientiam, quam in libris, in Accademis et in concionibus suis effundebat. Propterea ab eo petiit Thomas, quibus ex libris tam altam, tam profundam, tam utilem, tamque ardentem eliceret scientiam. Cui Bonaventura, Christi crucifixi ostendens imaginem, coram qua preces fundere solebat, humiliter respondit: *en librum unde omnia excerpo, quæ lego in cathedris, aut in libris scribo.* O quam divinus ille liber! O quam felix discipulus, qui in hoc libro mirabilia multa didicit! O quam miranda hujus discipuli, simul et Doctoris scientia! Tuam, o Bonaventura, admiror doctrinam. Tamen quod in te mihi mirabilis videtur, hoc est, *quod scientiam in temetipso simul cum amore conjunxeris.*

2. Licet scientia sit amoris principium, quia voluntas non fertur in incognitum, nec amare potest quod non novit; experientia tamen constat, quod plerumque viri doctiores non sunt in Dei amore ferventiores; quin contra, quo sunt doctiores, eo sæpe in Dei amore tepidiores evadunt. At sicut Seraphim in celo quo perfectius Dei majestatem norunt, eo ardentius ejus amore accenduntur; sicut in illis scientia et amor indissolubili uniuntur fœdere, sic Bonaventura, quasi alter Seraphim, mirabili adinventione scientiam simul cum amore in seipso ita copulavit, ut æqualiter in scientia et in amore profecerit. Quantum sciebat, tantum amabat; legendo, scribendo, studendo, scientiam simul et amorem sibi comparabat. Unde eum non solum Cherubim ratione scientiæ, verum etiam Seraphim ratione amoris vocat Joannes Gerson: *Bonaventura, inquit, verissimo nomine Seraphinus simul et Cherubinus* (Ep. in laudem Bonav.). Cherubinus erat et Seraphinus, quia in semetipso scientiam Cherubim et amorem Seraphim conjunxerat. Cum quis læsæ majestatis declaratur reus, juxta legis Cæsareæ præscriptum capite plecti meretur, ejusque bona fisco adjudicantur; *Majestatis reus capite plectatur, bonis ejus omnibus fisco nostro addictis.* Lucifer autem, cujus scientia omnem humanam doctrinam longe superabat, divinæ majestatis

superbia sua reus effectus illico ad tartara fuit præcipitatus, ejusque scientia sancto Bonaventuræ videtur adjudicata. Bonaventura autem Lucifero sapientior extitit; quia Lucifer scientiam cum Dei amore conjungere nescivit, Bonaventura vero mirabili adinventione scientiam simul cum amore in semetipso copulavit, fuitque simul Cherubinus propter scientiam qua rutilabat, et Seraphinus propter amorem quo ardebat. Querunt philosophi, an in eodem subjecto lux sine calore haberi possit. In hic dubio solvendo non immorabor; at in sancti Bonaventuræ laudem dicam, quod in eo lux scientiæ sine amoris divini calore nunquam existerit, quia eadem proportionem, qua ejus illuminabatur intellectus, ejus etiam in Dei amorem accendebatur affectus. Unde similis fuit sanctus Bonaventura Seraphim illis, de quibus ait Isaias, quod *stabant et volabant* (6). Semper siquidem viri illius Seraphici intellectus stabat in Dei consideratione atque itidem cor illius ad Deum per amorem volabat. De Verbo Divino ait Doctor Angelicus, quod *est verbum, non qualecunque, sed spirans amorem*. Idem dicendum de cognitionibus, quibus replebatur sancti Bonaventuræ intellectus; hæ etenim erant verba mentis ejus non qualiæcunque, sed divinum amorem spirantia. Dum enim ejus mens cœlesti sapientia illustrabatur, cor ejus pariter charitatis ardore sufflamabatur: ejusque scientia ad Dei amorem semper referebatur et terminabatur. *Cum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem et religiositatem affectus* (Gers. de exam. Doct.). Simile fuisse videtur cor divi Bonaventuræ celebri Salomonis throno, in cujus medio sculpta erat charitas. *Reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit* (Cant. 9, 10). In throni hujus medio sculpta erat charitas, seu in ejus medio exarata et scripta legebantur verba charitatem significantia. Hæcque verba, ut dicunt sacerorum librorum interpretes, ibi scripta erant literis ex rutilantibus pretiosis lapidibus mira arte concinnatis, ita ut hæ literæ simul et lucem emitterent, et charitatem significarent. Cor autem sancti Bonaventuræ huic throno similem erat, quia in medio cordis ejus sculptæ erant simul scientia qua fulgebat et charitas qua ardebat. Imo et plus cha-

ritatis, quam scientiæ in ejus corde fuisse videtur; et ideo præclare dixit sanctus Franciscus Salesius, quod inter Doctores mallet esse Bonaventura, quam Thomas; quia mallet esse Seraphinus, quam angelus, malletque minus scire et magis amare. O mirandum Bonaventuræ cor, quod tanta fulgebat scientia, tantoque ardebat amore! O mirabilem Doctorem, qui sacra adinventionem semetipso scientiam cum amore conjunxit! *Ac etiam magnitudinem et celsitudinem cum humilitate.*

II PARS.

Sanctus Bonaventura in se simul magnitudinem cum humilitate conjunxit.

1. Rex Assuerus sic exaltavit Aman, eumque favoribus et beneficiis suis ita sublimavit, ut eum supra regni sui principes extulerit: *rex Assuerus exaltavit Aman et posuit eum supra omnes principes quos habebat* (Esther 3): sic videtur, quod Deus semper erga homines beneficis specialibus et pereximiis beneficiis sanctum Bonaventuram sublimaverit, et apud homines laudabilem effecerit. Ei etenim, non secus ac Salomoni, dedit *Deus cor docile et animam bonam*: dedit ei ingenium acutum, memoriam felicem, passiones ad bonum inclinales: dedit ei potestatem sanandi infirmos, et suscitandi mortuos: dedit tandem ei tantam in moribus disciplinam, talem vitæ innocentiam, talem animi et corporis perfectionem, talemque in verbis et gestibus gratiam, ut omnium sibi conciliaret animos; neque solum plebejos, verum et principes ad sui venerationem alliceret. Christus, qui natura sua et ratione unionis hypostaticæ rex erat et dominus omnium; speciali tamen alia ratione regnabat super homines: specie, scilicet, quadam externa et pulchritudine mirabili, qua omnium sibi devinciebat animos, omniumque sibi corda subdebat: *specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna* (Ps. 44). Hac specie et pulchritudine ita supra hominum corda regnabat et domi-

nabatur Christus, ut a Salviano vocetur *magnes cordium* (*de gubern.* 4). Sicut enim magnes occultam et innatam quandam habet virtutem, qua ferro dominatur; illudque ad se trahit, ita Christus specie sua, pulchritudine sua et addita quadam virtute hominum cordibus dominabatur, eaque ad sui amorem alliciebat, et ideo totus eum mundus sequebatur: *ecce totus mundus post eum abit* (Joan. 12). O quam magnus et potens Christus ratione arcanae hujus virtutis! Quid simile dicendum de S. Bonaventura, qui occulta quadam praestabat virtute, eademque virtute regnabat in populo. Ipsi namque arcana quaedam a Deo data erat virtus, qua omnium sibi subdebat et ad se trahebat corda. *Magnes* erat Bonaventura, magnos et parvos, divites et pauperes, principes et plebejos ad sui amorem et venerationem alliciens. Ut enim de eo praedicavit eminentissimus cardinalis Petrus a Tharentasia: *quicumque Bonaventuram videbant, statim amore ejus capiebantur*. O quantus praefulsit Bonaventura per Deum, qui eum exaltavit et per additam illam virtutem, qua hominum cordibus dominatus est! Magnus etiam, imo et maximus fuit in aestimatione et in oculis omnium: *magnus* quidem in oculis Alexandri Alensis, qui de Bonaventura dixit, quod esset verus Israëlita, qui in Adamo non peccasse videbatur: *magnus* in oculis et in mente Doctoris Angelici, qui ejus scientiam mirabatur et qui eum adhuc viventem, *sanctum* proclamabat: *magnus* in oculis et in aestimatione omnium fratrum ordinis Seraphici, qui eo tempore quo innumeri in hoc Ordine florebant viri doctissimi, et sapientissimi, eum quintum supra trigesimum tantum tunc annum agentem unanimi consensu in ministrum generalem elegerunt et tanto ministerio dignum censuerunt. *Magnus* fuit in aestimatione summorum Pontificum, qui eum ad infulas evererunt. *Magnus* visus est omnibus concilii Lugdunensi Patribus, qui ejus scientiam, sanctitatem, mansuetudinem, in dubiis solvendis facilitatem et in negotiis pertractandis dexteritatem ita demerati sunt, ut eum Graeci simul cum Latinis Ecclesiae columnam vocaverint, ipsoque mortuo dixerint: *perit columna christianitatis*. Magnus tandem est aestimatus a viginti duobus

sanctae romanae Ecclesiae cardinalibus, qui cum post mortem Clementis quarti, Viterbii ad eligendum summum pontificem essent congregati, nec de aliquo uno eligendo convenire possent, totum suum eligendi jus uni Bonaventurae contulerunt hoc pacto, quod ille haberetur et agnosceretur ut summus Pontifex, quem ipse selegisset. O quam magnus in mundo Bonaventura! Quanto autem major, tanto humilior extitit: mirabiliter enim in semetipso *humilitatem cum magnitudine conjunxit*.

2. Humilitas simul cum magnitudine in angelis apostatis et in primis parentibus convenire non potuit; ipsi namque ut primum extolli coeperunt, vanitate et superbia inflati a magnitudine exiderunt. Christus in hunc mundum veniens humilitatem cum magnitudine reconciliavit: ut enim ait sanctus Bernardus, Christus qui erat magnus et laudabilis nimis, *factus est parvus et amabilis nimis*. Sanctus autem Bonaventura, Christum imitatus, in semetipso magnitudinem cum humilitate coadunavit; fuitque simul magnus et parvus, maximus et humillimus; et *quo magis scientia et auctoritate fulgebat, eo magis humilitate deprimebatur*. Tanta ejus fuit humilitas, ut dum ministri generalisungeretur officio, fratrum cameras verreret, infirmorum strata versaret, culinae catinos et ollas libenter lavaret, nec non aliis quibusque abjectioribus munis studiose incumberet. Tanta etiam ejus extitit humilitas, ut Eboracensem episcopatum sibi a Clemente quarto summo Pontifice oblatum humiliter acceptare recusavit. Huic tamen parem ac etiam maiorem a Gregorio decimo sibi oblatam in Ecclesia dignitatem acceptavit quasi coactus; ut scilicet Christi vicario, cui resistere nefas esset, religiose obtemperaret. Verum et tunc maxime ejus eluxit humilitas: cum enim ei a summi Pontificis legatis allatus est cardinalatus pileus, ab iis inventus est actu ollas, scutellas, aliaque vilia culinae vasa abluens: nec ab iis accipere voluit pileum, quin prius suspectum humilitatis opus peregisset. Probe sciebat Bonaventura, Christum Dominum praeclarum hoc et sanctum dedisse monitum: *qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui precessor est,*

sicut ministrator (Luc. 21). Sciebat vir seraphicus, quod *nihil est Deo charius humilitate, nihil operosius gloria* (Tertul. de vel. Virg. 15). Ideo humiliavit se in omnibus et in semetipso humilitatem simul cum magnitudine conjunxit. Ecce mirabilem sancti Bonaventuræ inventionem. *Qui etiam, miranda adinventione, in seipso vitam activam cum contemplatione copulavit.*

III PARS.

Sanctus Bonaventura in se simul vitam activam cum contemplatione conjunxit.

1. A coelesti regno exulat vita activa et laboriosa; non enim ibi sancti vescuntur pane in sudore vultus sui; non ibi inveniuntur peregrini, qui suscipiantur hospitio; non ibi esurientes, quibus frangatur panis; non sitientes, quibus potus porrigatur; non ibi aegri, qui visitantur; non litigantes, quorum jurgia componantur; non mortui, qui sepeliantur: omnia ista et alia his similia ibi non erunt. Quid ergo ibi erit? Ibi sane reperietur optima illa pars, quam Maria elegit: ibi requies perpetua, ac continua divinæ majestatis, omniumque divinarum perfectionum contemplatio. Alia tamen homines in terris militantes spectat sors: alia eorum est via. Licet enim illorum mentes ad coelestium contemplationem interdum eleventur, laboriosis tamen activæ vitæ exercitiis ut plurimum vacare solent, ac circa frequens ministerium occupantur: præsertim seraphicus Bonaventura, qui tot externis incubuit ministeriis, tot præclaris charitatis officiis vacavit, totque pro Dei gloria labores exantlavit, ut merito dicere potuisset, quod a juventute ad ultimum usque vitæ terminum vitæ activæ laboribus insudarit: *In laboribus a juventute mea*. Sicut divus Paulus se omnibus debitorem profitebatur, dicens: *Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum* (Rom. 1); ita sanctus Bonaventura scholasticis sacre scripturæ studiosis, spiritualis vitæ amatoribus, schismaticis, Ordinis seraphici fratribus, sæcularibus et

regularibus, ac denique omnibus se debitorem arbitrabatur; ideo summopere laboravit, ut omnibus facere satis. Heu! quantus ejus extitit labor in conscribendis ac eruditionem scolasticorum pluribus sacre theologiæ voluminibus! Quantus labor in concinnandis ad institutionem prædicatorum concionibus de sanctis et tempore! Quantus in conficiendis pluribus et piissimis variorum sacre scripturæ librorum commentariis! Quantus in conficiendis innumeris illis operibus, opusculis et libris, quos in septem magnis voluminibus collectos habemus! Quis enarrare valeat, quantus Bonaventuræ extiterit labor in docendo publice et in prædicando sæpissime? omitto laborem, quem in conscribendis propria manu semel et iterum sacris voluminibus insumpsit. Taceo laborem, quem in lustrandis sanctorum Gregorii, Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Hieronymi et aliorum sanctorum Patrum operibus adhibuit, ut ex iis, velut apes, flores odorifero, seu sententias selectissimas colligeret. Sub silentio prætereo alia multa, quæ ad totius Ecclesiæ utilitatem fecit. Præterire nequeo, quantus ejus extiterit labor in Ordinis seraphici gratiam, cum ipse appellari mereatur quasi manus, quæ eundem Ordinem sapientissime texit et potentissime protexit. Nonne hic hujus Ordinis inimicos variis opusculis confutavit? Nonne plures libros vitam regularem edocentes composuit? Nonne præclaras constitutiones ad totius Ordinis regimen delineavit, ut seraphici Patris labentem spiritum redintegraret? Mente revolvite seraphicum hunc doctorem, jam capitula generalia congregantem, jam provincias et regna peragrantem, ut fratrum conventus visitet et ut in iis disciplinam regularem stabiliat. Heu! quot fratres tepidos Bonaventura ad regulæ observationem compulsi! Quot fratres rebelles compressi! Quot lapsos erexit! Quot errantes ad Francisci ovile revocavit! Quot revertentes benigne recepit! Quot ad altiorem vitæ perfectionem monitis, hortationibus et exemplis suis excitavit! Bonaventura profecto sive studendo, sive docendo, sive scribendo, sive legendo, totus vitæ activæ addictus fuisse videtur. Revera tamen non totaliter vitæ activæ vacavit, quia mirabili adinventione *vitam activam cum contemplatione conjunxit.*

2. Sicut raro sanctificantur qui peregrinantur, ita raro ad contemplationem prout et apti sunt, qui vitæ activæ exercitiis se dedunt. Sicut enim Maria Martham solam ministrare sinit, ita Martha circa ministerium occupata, cum Maria cœlestium contemplationi raro vacat. Bonaventura e contra, qui vitam ducebat activam, altissimæ etiam contemplationi animum habebat intentum. Subtrahebat enim se a superfluis conversationibus, ab otiosis et vanis circuitionibus, a novitatibus et rumoribus audiendis. Cum Jesu a turba, quantum poterat, declinabat; libenter tacebat et latebat; quantum fas erat, ad cellam confugiebat, ibique, clauso super se ostio, Jesum dilectum suum ad se vocabat. Ibi ejus nativitatem, conversationem, passionem et mortem fervide meditabatur. Ibi divinæ contemplationi ita vacabat, ut sæpe extra seipsum raperetur et extasim pateretur. Nec hunc contemplationis spiritum amittebat, cum studiis, scriptioni librorum et externis aliis incumbere exercitiis; tunc enim animum sæpe ad interiora vocabat, mentemque suam ad Deum erigebat. Unde sicut Stephanum lapidum strepitus, lapidantium blasphemiae et circumstantium populorum clamores a cœlestium contemplatione non avertiebant, nec impediabant, quin cor sursum ad cœlum elevatum haberet: *intendens ad cœlum* (Act. 6), ita negotiorum strepitus non sisteat, nec perturbabat sancti Bonaventuræ spiritum, quem in mediis negotiis ad Deum per contemplationem semper erigebat. In quo cum similem dicam duobus illis Seraphim, de quibus ait Isaias, quod *alis duabus volabant* (Isa. 6): intellectus enim et voluntas Bonaventuræ, tamquam duabus alis incessanter ad Deum volabat. Intellectu volabat ad Deum per contemplationem, et voluntate ad Deum volabat per amorem. Cum Seraphim a Deo ad hæc inferiora mittuntur, a Dei visione et contemplatione nunquam cessant; similiter cum Seraphicus Bonaventura literarum studio operam dabat, ac externis se immiscebat negotiis, a Dei contemplatione non desistebat; in mediis negotiis mentem ad Deum crebro erigebat, ut majestatem, sapientiam, bonitatem, aliasque ejus infinitas perfectiones contemplaretur. Et hoc modo Mariæ simul et Marthæ officioungebatur; ac mirabili adin-

ventionem contemplationem cum vita activa in seipso conjungebat. Quis non demiretur mirandas sancti Bonaventuræ adinventiones? Mirabiles quidem sunt; et o utinam in similibus adinventionibus se quisque exerceat. Quin heu! plerique habentur prudentes ut faciant malum, et ut novos peccandi modos inveniant: *adinventiones eorum contra Dominum* (Isa. 3, 8). Humilitatis, patientiæ, charitatis et aliarum virtutum semitas invenire nesciunt; superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, aliorumque vitiorum vias facile inveniunt. Perfecte norunt *cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare* (S. Greg. Mor. 10, 16); sciunt usuras palliare, acceptas ulcisci injurias, malum pro bono reddere et alia multa peccata perpetrare. Hi autem malignis hisce adinventionibus Deum adversus ipsos irritant: *irritaverunt eum in adinventionibus suis* (Psal. 105). Hi in inferno juxta malignarum suarum adinventionum multitudinem cruciabantur: *juxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebunt* (Job. 20). Quapropter a malignis hujusmodi adinventionibus abstinete; et mirabilibus sancti Bonaventuræ adinventionibus invidiam exercete. Diximus, quod vir ille Seraphicus mirabili adinventionem scientiam cum amore in seipso conjunxit: similiter, qui inter vos docti sunt, scientiam cum amore in seipsis conjungere contendant. Heu! quid vobis proderit, perfecte novisse philosophiæ nodos solvere, altissima sacræ theologiæ mysteria explicare, omniumque scientiarum difficultates enodare, nisi itidem Deum ametis? Talis sane scientia, quæ in hoc mundo vobis esse potest ad gloriam, in inferno vobis erit ad poenam; idcirco scientiis vestris Dei amorem adjungite. Insuper et in aliis adinventionibus Bonaventuram imitari contendite. Seraphicus ille Doctor, magnitudinem in se simul cum humilitate conjunxit; sic *si quis magnus est inter vos, fiat sicut minor*. Scitote, quod *Deus superbis resistit et humilibus dat gratiam*; ideo quantumvis magni in sæculo, humiliamini, ut divinam gratiam assequi valeatis. Imitamini tandem sanctum Bonaventuram in adinventionem, qua in seipso vitam activam simul cum contemplatione conjunxit. Si status,

quem obtinetis et officia quibus fungimini, multis vos implicant negotiis, non iis vestrae totaliter immergantur mentes; quando Dei lex, ratio recta et prudens pietas id requirent, negotiorum tumultui vos subtrahite, ut quæ Dei et salutis sunt, peragatis. Sic agentes adinventionum vestrarum fructum in cælo percipietis. Amen.

DE SANCTO ALEXIO

CONCIO UNICA.

Exiit a Patre, et venit in mundum, iterum relinquit mundum et vado ad Patrem (Joan. 16).

Tota hominum vita peregrinatio est: quandiu in hoc mundo moramur, peregrinamur a Domino; semperque in præsentiarum tamquam peregrinos vivere oportet, ut tandem aliquando ad cælestem patriam pervenire valeamus. Alexius autem qui simul cum aliis hominibus in terra peregrinabatur; novo et mirabili quodam modo peregrinus fieri voluit; ipse namque *propter eximium Christi amorem, prima nocte nuptiarum, relinquens intactam sponsum, illustrium orbis terræ Ecclesiarum peregrinationem suscepit*. Quibus in itineribus, cum ignotus septendecim annis permansisset, Dei monito et impulsu, Roman ad Euphemianum patrem, virum utique Romanorum nobilissimum, rediit: a quo, non ut filius, eo quod eum amplius non agnosceret, verum ut pauper et peregrinus receptus est. Illustrissimum et sanctissimum hunc demoror peregrinum; ad delineanda ejus magnalia ardenti moveor propensione, meumque temperare non possum calamum, quin in ejus, quantum fas erit, laudes se diffundat. Non illum laudabo a nobilitate, qua alios omnes Romanos antebat; non a divitiis, quibus affluebat; non a famulis ter mille, a quibus circumdari et ministrari solebat; non ab affinitate, quam contraxerat, nubendo puellæ ex imperatoris

domo oriundæ; nec tandem ab eleemosynis quæ in domo ejus fiebant, in qua singulis diebus tres mensæ pauperibus, orphanis et peregrinis parabantur. Licet enim ad Alexii gloriam hæc omnia non parum redundant, ea tamen subitico, ut ad mirandam ejus peregrinationem tota mea vertatur oratio. A Chrysostomo didici, quod *prima virtus est et tota virtus peregrinum esse mundi hujus* (in ep. ad Heb. 11). Omnem ergo Alexii virtutem et perfectionem elicere conabor ex hoc, quod in mundo et a mundo peregrinus fuerit. Ave.

Christus Dominus, qui Pastoris, Medici et Doctoris munia in terris obivit, peregrini etiam nomen et titulum non recusavit: *hospes in terra esse voluit Dominus, peregrinus in mundo, per quem factus est mundus* (August. serm. 144 de temp.). Peregrinationis autem suæ principium, locum et terminum docuit nos ipse Salvator dicens: *exiit a Patre et venit in mundum, iterum relinquit mundum et vado ad Patrem*. Peregrinationis Christi principium est Pater æternus, in cujus sinu fuit ab æterno; et a quo quasi exiit, cum incarnatus est: *exiit a Patre*. Peregrinationis suæ locus fuit hic mundus sublunaris, in quo, velut pauper et inops, triginta tribus annis peregrinatus est: *et venit in mundum*. Terminus tandem suæ peregrinationis est Pater æternus, ad quem rediit, cum ab hoc mundo discessit: *iterum relinquit mundum et vado ad Patrem*. Ecce peregrinum admirabilem, quem perfecte imitatus est Alexius; exiit enim a patre, venit in mundum et rediit ad patrem: *a patre exiit Alexius*, cum ipsa nuptiarum suarum die, e patris domo clam aufugit: *in mundum venit*; cum varias hujus mundi provincias peragravit: *rediit ad patrem*, cum post septendecim annos a suo discessu, ad paternam domum reversus est. Itaque ut totam Alexii peregrinationem dilucide explicare valeam, eum considero in egressu suo a domo patris, in conversatione sua extra domum patris et in regressu suo ad domum patris; ac dico eum fuisse peregrinum mirabilem 1. in egressu suo a domo patris; 2. in conversatione sua extra domum patris; 3. in regressu suo ad domum patris.

I PARS.

Sanctus Alexius fuit peregrinus mirabilis in egressu suo a domo patris.

Alexius, qui Euphemiani, viri nobilissimi et in imperatoris aula primi, unicus erat filius, ipsa nuptiarum suarum die, uxorem intactam relinquens, clam se subripuit et a propria domo aufugit, ut longam et diuturnam peregrinationem susciperet. Eadem die qua Alexius nuptias celebravit, peregrini mores, habitumque induit; fuitque peregrinus admirabilis in discessu suo a paterna domo, si consideretur tempus, celeritas et modus sui exitus; seu si considerentur 1. *tempus*, in quo exiit; 2. *celeritas*, qua exiit; 3. *modus*, quo exiit.

1. Tempus, quo a paterna domo exiit Alexius, fuit ipsa dies nuptiarum, in qua ad fastum, ad epulas et ad delicias omnia parabantur; fuit ipsa dies, qua de conjugio inito gaudebant parentes, plaudabant amici, congratulabantur omnes; fuit ipsa dies, in qua sponsæ dixerat: *accipio te in meam*. Hac inquam die, domum, parentes, amicos et novam sponsam reliquit Alexius, ut ad loca sancta et longissime distantia peregrinaretur. O peregrinationem inexpectatam! O peregrinationis causa exiit! Abraham admirantur multi, eo quod de terra sua, de cognatione sua et de patris domo egressus sit, ut ad alienas oras peregrinaretur; ipse tamen hanc non suscepit peregrinationem ipsa nuptiarum suarum die, nec uxorem, quam desponsaverat, reliquit; ipsam secum adduxit: *tulit Saram uxorem suam et egressi sunt, ut irent in terram Chanaan* (Gen. 13, 5). Ideo peregrinus longe mirabilior fuisse videtur Alexius, cum a paterna domo solus, ipsa nuptiarum die exierit, relinquens patrem, matrem et uxorem, ut duram et diuturnam peregrinationem ad loca sancta susciperet, Petrus, ut Christum sequeretur, et cum eo ad diversa loca peregrinaretur, exiit a

propria domo et omnia sua reliquit: *ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* (Matt. 12, 17). Quid sunt hæc omnia, quæ Petrus reliquit? Ilæc pene sunt navis et retia, quibus victum piscando quærabat; et cum his omnibus uxorem etiam reliquit, ut enim ait Hieronymus, *habuit Petrus uxorem et eam cum reti et navicula reliquit* (ep. 34 ad Julian.). Ecce quidem mirabilem peregrinum, qui ut Christum sequatur, exit a domo, navimque, retia, uxorem et omnia quæ habet, generose relinquit. Si tamen ad Alexium oculos convertam, quid mirabilius in eo intueor; hic enim a domo exiens, magnificum reliquit palatium, cujus erat dominus; patrem ditissimum, cujus hæres futurus erat; matrem sanctissimam, cujus unicus supererat filius, et sponsam nobilissimam, cujus erat sponsus dilectissimus. Omnia hæc reliquit Alexius, non tempore senectutis, cum iis amplius frui non poterat; non tempore gravis cujusdam afflictionis, quo hæc omnia fastidiebat; non instante mortis tempore, quo cuncta necessario sunt relinquenda; ea deseruit tempore juventutis, ipsa die nuptiarum; hanc inquam die a domo exiens, patrem et matrem, et ipsam sponsam reliquit, ut in variis mundi regionibus peregrinaretur. Miror hunc peregrinum et quidem plurimum mirabilem se prodit in exitu a paterna domo, si consideretur tempus, quo ab illa exiit; ac pariter illum mirari libet, si spectetur *celeritas et promptitudo, qua exiit*.

2. Christus, qui nuptiis in Cana Galilææ initis visibiliter interfuit, Alexii nuptiis invisibiliter adesse voluit. In nuptiis Canæ Galilææ Christus exemplo suo virtutis amorem sponsis prædicavit; in nuptiis vero Alexii, novo huic sponso Christus divitiarum contemptum, voluptatum abnegationem et honorem seculi fugam intus inspiravit. Ei intus dixit Salvator: *omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (Matt. 19). Ei intus suasit, patrem, matrem, uxorem et omnia temporalia protinus esse relinquenda, sanctasque peregrinationes pro sui amore suscipiendas. Alexius autem audivit Christum intus loquentem, sacrum gratiæ ejus motum

sensit, et pro ejus amore domum, prædia, parentes, ipsam quoque uxorem statim reliquit et difficillimam peregrinationem suscepit. Christo vocanti non obstitit sanctus hic adolescens; ipse non secus ac sanctus Gregorius Nazianzenus, ex animo dixit: *sum tuus, ut libeat, me, bone Christe, rege* (in carn. ad Dia. in mor.). Hoc in corde suo dixit novus ille sponsus et Christi vocationi obtemperare non distulit usque ad futurum tempus; statim a paterna domo generose exiit, parentes, uxorem, omniaque terrena mox reliquit, et diuturnam ad loca sancta peregrinationem suscepit. Adolescens Alexius renuit imitari adolescentem illum, qui Christo vocanti non statim obtemperavit; et qui se excusans, respondit: *Domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum* (Luc. 9, 59). Procul etiam abfuit a protervis illis adolescentibus, qui ut divinæ vocationi non obsequantur, vanas et fuitiles excusationes pretendunt; ipse nulla adhibita excusatione, Christi vocationi protinus obsecutus est. Poterat quidem Alexius excusationes adducere, quæ in sapientium sæculi sensu, veræ, legitimæ, imo et urgentissimæ visæ fuissent; poterat namque Christo vocanti respondere: o Domine, unicus ego sum filius patris nobilissimi et ditissimi, qui totam spem et consolationem suam in me fixit, et qui pene præ afflictione morietur, si ab illo discedam et illa, quæ inspiras, adimpleam. Christo vocanti dicere etiam poterat; filius unicus sum matris, quæ toto me corde diligit, quæ haud dubie moróre conficietur, si ab illa modo, quo intendis, me separem. Ei et dicere poterat: nobilissimæ sponsus sum puellæ, quam hodie in meam accepi, cui non parvam facere videbor injuriam, si ab ea, ipsa die nuptiarum, me subripiam; et si illam ipsa die, qua in sponsam accepi, quasi viduam efficiam. Christo respondere quoque potuisset: o Domine, si quod suades, opere compleam, quid fiet de amplis facultatibus, quibus parentes affluunt? Quid de dignitatibus, quas possident? Quid dicent Romani, quibus sum notissimus? Quid sentient quicumque rem tam insolitam, tamque portentosam audient? Hoc haud dubie dixisset, hasque excusationes adduxisset alius, qui Christum minus amasset; Alexius autem absque ulla renitentia, absque ulla

excusatione, Christo protinus obtemperavit; et cunctis relictis, statim a paterna domo exiit, ac inspiratam a Christo peregrinationem illico suscepit. O peregrinum mirabilem in exitu suo a paterna domo, si spectetur promptitudo et celeritas, qua ab illa exiit! Jamvero Alexius est etiam peregrinus admirabilis in exitu suo a paterna domo, *si attendatur modus, quo ab illa exiit.*

3. Alexius peregrinationem, sic a Deo inspiratam, suscepit, antequam a paterna domo exiret, sponsam ad Dei timorem et ad virginitatis amorem primo hortatus est; deinde anulum suum aureum ei servandum tradidit, dicens: *accipe, et serva, et Dominus sit nobiscum.* Postea de facultatibus suis aliquid sumens, ad proximum maris portum perrexit, ascendensque navem, Laodiceam usque devenit. In modum, quo sanctus hic peregrinus a paterna domo exiit; qui quidem modus admiratione dignus videtur; imo et in eo multa elucet mirabilia. Mirari enim licet quomodo Alexius sponsam suam erudiendi et ad Dei amorem excitandi cor et animum habuerit; mirabile est, quomodo secretum sibi a Deo creditum servare potuerit et quomodo a domo in qua tot erant domestici, omnibus insciis evaserit; mirabile, quomodo a patre, matre et sponsa siccis oculis se separaverit, ac navim in portu paratam invenerit, in qua a nemine cognosceretur et a suscepto opere retardaretur: omnibus demum spectatis adiunctis, quibus Alexius a paternis laribus exivit, omnia habentur mirabilia. Non semel demiratus sum modum, quo Deus Lot de Sodoma eduxit; ad eum enim duos misit angelos, qui Sodomitæ multos cæcitæ percusserunt et qui apprehendentes manum ejus, duxerunt eum extra civitatem; ibique locuti sunt ad eum, dicentes: *salva animam tuam: noli respicere post tergum; nec stes in omni circa regione* (Gen. 19). Ecce modum mirabilem, quo utitur Deus ad educendum Lot de Sodomitis; jamvero non minus mirabili modo Alexium de Sodoma, seu de mundo maligno eduxit. Verum quidem, quod Deus non miserit angelum, qui eum alloqueretur, et educeret; ipse illum intus allocutus est, ipse illi inspiravit, quomodo sponsam affaretur, et quid ei of-

ferret; ipse illum intus docuit modum, quo se a domesticis extricaret, et ad portum, cunctis insciis, se conferret. Alexius autem cuncta, quæ Deus inspiravit, perfectissime adimplens, modo mirabili a paterna domo exit. Ecce peregrinum admirabilem in exitu suo a domo patris: *exiit a patre*. Deinde Alexius fuit etiam peregrinus admirabilis in conversatione sua extra domum patris et quamdiu in variis mundi regionibus peregrinatus est. *Et veni in mundum*.

II PARS.

*Sanctus Alexius fuit peregrinus admirabilis
in conversatione sua extra domum patris.*

Peregrinatur tandem Alexius, et extra paternam domum tanquam humilis peregrinus septendecim annis discurret, quo tempore Laodiceam, Edessam Siriae civitatem, aliaque loca longissime distantia peragrat. In tota autem hac peregrinatione Alexius peregrinum egit in moribus et conversatione sua admirabilem, qui veri et sanctissimi peregrini leges perfectissime servat. Ipse etenim se exonerat, transit et tendit ad patriam; ipse 1. *se exonerat* bonis temporalibus; 2. *transit* ignotus omnibus obviis; 3. *tendit* ad patriam cœlestem.

1. Omnis peregrinus, si prudentia vel minimum polleat, deprimentibus inutiliter non se onerat sarcinis, quæ fatigationem augent, et quæ pergendi facilitatem tollunt. Et in hoc potissimum prudenter se gerunt peregrini illi spirituales et pii, qui pro Dei amore in mundo et a mundo peregrinantur; isti enim ita temporalibus se bonis exonerant, ut omnia penitus abdicerent et relinquant, exceptis his, quæ ad victum et vestitum ipsis necessaria sunt. *Peregrinus victum et vestitum habens, non vult alitis onerari* (S. Bern., serm. 8 in cap. *jejun.*). Divus Paulus ex piis et perfectis illis fuit peregrinis, qui solo victu et vestitu contenti sunt: *habentes alimenta, et quibus tegamur, hi contenti sumus* (1 Tim. 6). Ex ejusdem generis peregrinis

extitere nonnulli alii sancti, et præcipue Alexius, qui tam arcto peregrinantium leges servavit, ut vile induens vestimentum, propriis et pretiosis se vestibus exoneraverit, omnemque pecuniam, quam a paterna domo tulerat, pauperibus distribuerit. Cum enim Edessam pervenit, omnia quæ secum attulerat, jam pauperibus largitus erat; et vilia induens vestimenta, cum ceteris pauperibus in atrio Templi Beatissimæ Virginis sedere cœpit, mendicans; ac quamdiu ibi remansit de acceptis elemosynis ea solum retinens, quæ sibi ad victum absolute necessaria erant, cetera aliis pauperibus erogavit. Ecce peregrinum vere exoneratum. In annalibus Fratrum Minorum fertur, quod frater Leo, Seraphici Francisci filius et socius, aliquando in extasim raptus, magnum viderit flumen, quod Fratres Minores transvadere tentabant. Ex iis autem aliqui, magnis diversarum rerum onusti sarcinis, ad fluvii oram submergebantur; alii ulterius progrediebantur, citiusque, aut tardius a fluminis absorbebantur voragine, juxta majus, vel minus pondus sarcinarum; quas portabant; alii vero, qui penitus exonerati incedebant, citissime et absque ullo periculo transfretabant. En veram figuram eorum, quæ in hoc mundo fiunt; mundus enim est flumen amplissimum, quod pertransire debent omnes, ut ad civitatem sanctam Jerusalem pervenire valeant. Qui autem terrenis rebus se nimis onerant, quique nimio eas affectu diligunt, ab iis in infernum demerguntur; qui autem iis se exonerant, ut nudi nudum Christum sequantur, ad paradisum facile et absque periculo perveniunt: ideo Christus discipulos docens viam facilem, qua ad cœlestem gloriam pervenire possint, ait illis, ut in hoc mundo vivant tanquam peregrini ita exonerati, ut omnia penitus abdicent: *nihil tuleritis in via* (Luc. 9, 3). Quam Christi doctrinam perfectissime sectatus est Alexius; fuit enim peregrinus sanctitate eximia præditus, qui non solum gravem sarcinam divitiarum, quarum futurus erat hæres, verum et levem sarcinam cujusque pecuniæ, quam a paterna domo tulerat, penitus abiecit; et qui terrena omnia abdicavit, ut in peregrinatione sua non retardaretur, atque facilius in virtutis et perfectionis via progredi valeret. Dum vero Alexius ut peregrinus perfectissimus terrenis

omnibus se exonerat, *velut etiam peregrinus perfectissimus, transit ignotus.*

2. Viatores plurimi, tametsi nobiles, docti, divites, vel eminente aliqua dignitate præditi, cum per alias transeunt regiones, se suumque dissimulant statum, ut ab obviis quibusque non agnoscantur. Quod utique accuratius, majoreque cum solitudine præstare solent viatores hi, qui pietatis causa et propter Deum in hoc mundo et a mundo peregrinantur; hi etenim quidquid hominum laudes et venerationem ipsius conciliare posset, studiose occultant, ac solite curant, ut hominibus ignoti, solique Deo innoscescant: *sicut qui ignoti et cogniti* (2 Cor. 6, 8). Quid alii egerint, jam non singillatim recensebo, unicum intueor Alexium; mirabilem hunc jam solum considero peregrinum, qui in peregrinatione sua ita hominibus latere voluit, ut cujus esset nobilitatis, cujus patris filius et cujus puellæ sponsus, nemini manifestaverit. Ubique et omnibus dignitatem suam, divitias et virtutes suas pro viribus occultavit, ac hominibus ita se ignotum præbuit, ut a patris sui domesticis, qui illum quærebant, elemosynam acceperit, quin ab iis agnosceretur, licet millies forte in paterna domo illum antea vidissent. Cum David, fugiens a facie Saul, venisset ad Achis regem Geth, dixerunt servi Achis, postquam viderunt David: *numquid non iste David rex terræ? Nonne huic cantabant per choros, dicentes: percussit Saul mille et David decem millia?* (1 Reg. 21). David vero timens, ne ex meritorum et dignitatis suæ agnitione in grave aliquod incurreret periculum, stultum se esse simulavit: *nam immutavit os suum coram eis et collabebatur inter manus eorum et impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus barbam;* et per hanc stultitiæ simulationem ignotus remansit et liberatus est. Alexius similiter, ut in peregrinatione sua hominibus ignotus lateret, vestes mutavit, immutavit etiam os suum per jejunium, ac ita inter mendicos conversatus est, ut nec a propriis famulis cognosci poterit. Imo timens, ne a famulis, vel ab aliis agnosceretur et ne virtutes suæ hominibus innoscerent, mox ut aliquis sanctitatis suæ rumor in aliqua civitate respergebatur,

ad aliam dissitam migrabat: et sic semper agebat peregrinum, non hominibus, at soli Deo notum. Est ergo Alexius peregrinus perfectissimus, qui transit ignotus; *est etiam peregrinus perfectissimus, qui ad cœlestem patriam tendit et ire satagit.*

3. Alexium peregrinantem mirabiliter delineasse videtur sanctus Bernardus, cum dixit, quod peregrinus *via regia incedit; non declinat ad dexteram, neque ad sinistram: si forte jurgantes viderit, non attendit; si nuptias, vel choros ducentes, nihilominus transit, quia peregrinus est et non pertinet ad eum de talibus.* Ad patriam suspirat, ad patriam tendit (serm. 8 in cap. jejuni.). Alexius sane in peregrinationibus suis, via regia sanctæ Crucis et mandatorum Dei continue incescit: non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram, ut voluptates et honores sæculi quæreretur; hominum jurgiis non se immiscuit: nec sollicitus fuit, an homines quique nuptias inirent, vel choros ducerent; semper transivit ut peregrinus, ad quem talia non spectabant; semperque et indesinenter ad cœlestem patriam tetendit. Sancti hujus peregrini cor cœlestis hujus patriæ desiderio continue ardebat, et ideo pertransibat contemnens quidquid in mundo pulchrum et delectabile sibi occurreret: transibat despiciens quidquid æstimare solent alii, unicum habens studium mandatorum et eminentiorum virtutum via incedere, ut ad cœlestem patriam perveniret, ad quam indesinenter anhelabat et continue tendebat: *ad patriam suspirat, ad patriam tendit.* Tres peregrinorum leges enumerat seraphicus pater sanctus Franciscus; nempe, *sub alieno colligi tecto, pacifice pertransire, sitire ad patriam* (Opusc. 10, 3). Quas leges perfectissime servavit Alexius; ipse enim, relicto proprio palatio, varias peragravit provincias, sub alienis tectis semper recubens; ipse etiam ita pacifice et pie pertransivit, ut sanctitatem ejus admirarentur quotquot conversatione ejus vel minimum fruebantur; ipse tandem ad cœlestem patriam anhelavit, eam ardentem concupivit et ad eam continue tetendit. Unde mihi audire videor sanctum hunc peregrinum in omnibus locis quæ pertransibat, dicentem: *non habemus hic manentem civitatem, sed futu-*

ram inquirimus. Ad celestem enim patriam indesinenter suspirabat et sanctis suis operibus ad illam incessanter pertendebat. Ecce peregrinum vere mirabilem, quamdiu in mundo, seu extra patris domum peregrinatur: videamus peregrinum admirabilem, cum ad paternam domum revertitur. *Iterum relinquo mundum et vado ad patrem.*

III PARS.

*Sanctus Alexius fuit peregrinus admirabilis
in regressu suo ad domum patris.*

Cum diu in Edessa civitate commoratus fuisset Alexius, eximiam ejus sanctitatem aliqua beatissimæ Virginis imago manifestavit; quare ut hominum laudes et æstimationem fugeret, inde recessit et Laodiceam venit. Cumque ibi navim conscendisset, ut ad Tharsum Ciliciæ se conferret, Deo sic disponente, navis a ventis pulsa in portum romanum devenit. Ubi celesti irradiatus lumine, agnoscens velle Deum, ut ad paternam domum reverteretur, ad eam revertitur, modo tamen penitus admirabili. Ad eam enim rediit, ut hospitaretur, ut lateret et ut pœnitentiam ageret. Ad eam rediit, 1. ut in ea hospitaretur, non ut dominaretur; 2. ut in ea lateret, non ut luceret; 3. ut in ea pœnitentiam ageret, non ut deliciis fruere.

1. Filius prodigus, de quo sanctus Lucas evangelista, fame confectus, ad patrem redire statuit, non ut tamquam ignotus et peregrinus ab eo reciperetur, verum ut ei suam manifestaret miseriam, atque ad misericordiam flecteret: Alexius vero ad patrem rediit, ut ei se occultet et ut ab eo velut vilis peregrinus recipiatur. Obvio enim sibi patri non dicit; pater meus es tu et ego filius tuus sum; dicit ei: *serve Dei, peregrinum in domo tua me suscipi jubeas et de micis mensce tue me nutriri facias, ut tui quoque peregrini dignetur Deus misereri.* O Alexi, manifesta teipsum patri et protinus recipieris ut filius ejus unicus et omnium bonorum illius fu-

turus hæres. Loquere, o Alexi! unicum proferas verbum, dic solum, quod Alexius sis et statim amplexabitur te pater, qui te mortuum esse suspiciatur; gaudebit mater, quæ a discessu tui tempore indesinenter lugeat; tripudiabit uxor, quæ instar turturis genere non desinit; gaudium denique magnum erit in tota domo, in qua ut dominus ejus recipieris; loquere et statim in medio domesticorum tuorum dominaberis. Loqui non vult Alexius, ut se filium manifestet, quia non redit ad domum patris, ut in ea dominetur, sed ut in ea tamquam peregrinus et hospes recipiatur. Et revera a patre solum petit, ut ipsum tamquam peregrinum recipiat; piusque pater, qui filium non agnoscebat, ordinavit, ut sub quodam domus suæ tuguriolo, tamquam peregrinus collocaretur. O peregrinum sanctissimum! O omnibus seculis admirabilem! Peregrini, qui dissitas peragant regiones, in bonis quæ ipsis occurrunt, nihil habent, quam visum, seu potestatem videndi ea. Si virentia prata, horti omnium florum genere ornatissimi, magnifica palatia et alia, quantumvis pulchra et pretiosa ipsis occurrant, in his omnibus nullam habent dominationem, nullumque jus, solam facilitatem ea videndi inter transeundum. Alexius autem ad paternam domum rediens, in ea recipi voluit, non ut dominus et ut habens dominium et jus super bona patris sui, verum ut peregrinus nil in paternis bonis habens quam visum. Sicut cum longe a paterna domo peregrinatus est, in bonis quæ ipsi occurrerunt nil habuit, nisi visum, ita et ad paternam domum reversus, nil nisi visum in ea habere voluit. Sicut alii peregrini in Alexii domo visum habebant, ita et ipse in propria domo nullum dominium, nilque nisi visum habere voluit. O peregrinum admirabilem, qui in paterna domo recipi vult, non ut in eo dominetur, tantum ut in ea hospitetur: *et qui in ea etiam recipi vult, ut in ea lateat et non ut fulgeat.*

2. Cum filius prodigus ad paternam domum rediit, accurrens pater, cecidit super collum ejus, osculatus est eum; dixitque servis ut afferrent stolam primam, seu vestem prætiosiorē, qua indueretur, annulum etiam, aliaque honoris signa ei dari curavit. Heu! si tantus honor impenditur filio illi prodigo, qui dissipaverat

substantiam suam, vivendo luxuriose, quanto honore affectus fuisset Alexius filius unicus, Alexius sanctus, Alexius dilectus Deo et hominibus, si se manifestasset? Haud dubie a parentibus, a domesticis et ab universa civitate Romana immensis fuisset honoribus cumulatus; Alexius autem ad paternam domum non venit, ut in ea honoretur et luceat, venit ut lateat. Cum enim ad portum Romanum appulit, secum ipse dixit: *ibo ad patrem meum et in domo ejus ignotus manebo*. Quod revera opere complevit: in paternæ enim domus tuguriolo septemdecim annis latitavit; ibique toto hoc tempore ita ignotus mansit, ut famuli ipsum sæpissime deriderent, ei illuderent, eumque nonnunquam injuriis afficerent. Alexius in hoc tuguriolo honorem inter et dedecus constitebatur: ad utrumque manum extendere poterat: lucere, aut latere in ejus erat potestate; si enim manifestasset semetipsum, honoratus fuisset ut Euphemiani filius, ut imperatoris affinis et ut vir nobilitate sua fulgens; maluit sub tuguriolo ignotus et ut vilis peregrinus latere, ibique irrisiones et injurias multas pati, quam in mundo lucere et honorari. Probe novit Alexius, honores mundi nihil esse, nomenque honoris habere, rem non habere: *blandum nomen honos* (S. Paulin.); idcirco volaticos et vanos illos despexit honores; malitque in recondito paternæ domus recessu, ut pauper peregrinus latere, quam in mundo lucere et ab hominibus honorari. De Galeatio Sfortia legitur, quod pro simbolo depictum habuerit celi globum, stellis satum et perfuso lumine coruscantem, his verbis adjectis: *me trahit altus honos*. Eodem sane honor trahebatur Alexius; hic coelestem globum aspicebat et despectui habens fugaces, unoque momento durabiles mundi honores, ad coelestes anhelabat et iis solis trahebatur. Ei quidem sese offerebant honores sæculi, ad illos sublimari et iis frui poterat; lucere noluit in mundo, at latere; omnes mundi honores despexit et contempsit, necnon sub tuguriolo ex-honorari praelegit, ut æternos in celo honores assequi valeret. Quis non miretur sanctissimum hunc peregrinum, qui ad paternam domum revertitur, ut in ea lateat et non luceat? Denique Alexius fit peregrinus admirabilis, qui ad patris domum

redit, ut *poenitentiam agat et non ut gaudeat, mundique deliciis fruatur*.

3. Cum filius ille prodigus, de quo jam diximus, ad paternam domum reversus est, audita sunt in ea suavis musica instrumenta; gavisus est pater, eo quod invenisset filium qui perierat; crediditque pius et misericors pater, in filii reditu edenda necessario gaudii et lætitiæ signa: *epulari et gaudere oportebat* (Luc. 16). Heu! si pater hic, redeunte prodigo et misero filio, qui suam cum meretricibus dissipaverat substantiam, tanta gaudii signa edidit, quantum in Euphemiani domo extitisset gaudium, si rediens Alexius seipsum manifestasset? Tota haud dubie supra modum gavisa esset familia: parentum luctus conversus fuisset in gaudium, nilque omisissent, ut gaudii et lætitiæ signa ederent. Loquere ergo Alexi: manifesta teipsum et simul cum parentibus gaude. Absint a me mundana gaudia, ait in corde suo Alexius: ad paternam enim domum venio, non ut deliciis affluam, imo ut duræ poenitentiae operibus incumbam. A patre peto, non bonis ejus saginari, non voluptatibus sæculi frui, solum in recondito domus ejus recessu latere, ut ibi poenitentiam agam. Et revera toto septemdecim annorum tempore in paternæ domus tuguriolo latens, corpus suum jejuniis, aliisque poenitentiae operibus affligere non destitit. Cum Alexium in hoc paternæ domus tuguriolo considero, mihi in mentem venit Tantalus, quem poætæ fingunt in inferno, aquis immersum usque ad labium inferius et tamen bibere prohibitum; habentem fructus optimos usque ad labium superius pendulos et tamen ex iis comedere impotentem; bonis plurimis circumdatum et tamen iis potiri non valentem. Hæc fictio est pictura levis eorum, quæ necessitate patiuntur in inferno damnati; et videtur etiam representatio quædam poenitentiae, quam in paternæ domus tuguriolo voluntarie et libere suscepit Alexius. Ipse etenim in paternæ domo propriam videt mulierem et poenitentiae spiritu accensus, eam non tangit, nec concupiscit: cibos videt exquisitos et ex poenitentiae motivo ab iis abstinet: circumdatur honoribus, ad quos elevari potest et divitiis quibus affluere et frui in ejus erat potestate; poenitentiae

animo concitatus, iis frui recusat. O gravem Alexii poenitentiam! Quam ipse adhuc duriorē efficiebat vigiliis, jejuniis, aliisque poenitentiae severioris adinventionibus, quibus corpus suum dire cruciabat. Ecce peregrinum vere mirabilem; *tum* in exitu a domo patris; *tum* in conversatione sua extra domum patris; *tum* in reditu suo ad domum patris. Tandem hic peregrinus ad optatum peregrinationis terminum, seu ad coelestem patriam feliciter pervenit, ejusque sanctitatem mox ab ejus obitu Deus manifestavit voce e caelo delapsa, quae die dominica inter missarum solemnia audita est, dicente: *Dei servum in domo Euphemiani quaerito, ut oret pro urbe Roma*. In domo enim Euphemiani inventus est servus Dei Alexius, fato functus, in manu chartam definens, quae nec a patre, nec a matre, verum a solo summo Pontifice evelli potuit. Summus autem Pontifex eam legi jussit coram innumera populi multitudine, adstantibus etiam Alexii patre, matre et uxore. Qui audientes hunc Dei servum esse Alexium, quem tanta sollicitudine quaesierant, amaras fudere lacrymas. Deus autem sanctitatem ejus manifestavit, dum tactu corporis illius, daemoniaci liberati sunt, caeci visum receperunt et alii multi a variis infirmitatibus sanati fuerunt. Miramini Alexium, qui quidem in peregrinatione multa perpressus, jam laborum suorum remunerationem habet. Hunc miramini, et quantum fas erit, illum quisque imitari conetur. Peregrinus ille fuit, peregrini sumus et nos; peregrinus fuit ille voluntarie et quamdiu in hoc mundo vivimus, nos peregrini necessario sumus: *non te fallas*, ait Augustinus, *hospes es, velis, nolis*. Sicut autem Alexius tam perfecte in peregrinatione sua vixit, ut tandem aeternam beatitudinem assecutus sit, ita et nos in peregrinatione nostra Deo fideliter serviamus, mandata ejus custodiamus, ac tam pie, tamque perfecte vivamus, ut post mortem ad coelestem patriam feliciter perducamur. Amen.

DE SCAPULARI BEATÆ VIRGINIS MARIE

CONCIO UNICA.

*Induit me vestimentis salutis et indumento
justitiæ circumdedit me.*

Qui sacra tantillum pervolunturum volumina, repererunt haud dubie, patres et matres speciali quadam cura et complacentia filios suos vestimentis induisse. Cum se nudos cognoverunt protoparentes nostri, nonne Deus, qui est omnium pater, *fecit eis tunicas pelliceas et induit eos?* (Gen. 3). Nonne Jacob dilecto filio Joseph *fecit tunicam polymitam?* (Gen. 37). Nonne revertenti filio prodigo, stolam primam dari jussit pius ejus pater? Nonne Anna, mater Samuelis, *tunicam parvam faciebat ei, quam afferebat statutis diebus?* (1 Reg. 2). Nonne Rebecca, ut singularem, quo Jacob prosequeretur, amorem ostenderet, *vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum?* (Gen. 27). Ut autem ad Mariam Dei Genitricem veniamus, hæc Christum recens natum *panis incoloit* (Luc. 2). Imo, si multis authoribus credamus, fecit Maria et dedit Christo vestem inconsutilem, qua induebatur et super quam milites miserunt sortem; *et in vestem meam miserunt sortem* (Joan. 19). Sicut autem Maria filio suo naturali Christo vestimenta præbuit, ita et filio suo spiritali, beato Simoni Stock, vestimentum dedit, quod *scapulare* appellamus, dicens: *dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare*. Istud autem est vestimentum sanctitatis et salutis, de quo jam nobis instituendus est sermo. Ave.

Multos filios habet Maria, unum scilicet naturalem et alios adoptivos. Filius ejus naturalis est JESUS, quem ipsa in Bethlehem genuit; filii vero ejus adoptivi dicuntur quotquot illam reverenter colunt et specialiter fratres Ordinis Carmelitani, nec